23

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE TRISMO

QVAM

SVB AVSPICIIS DIVINIS

RECTORE

VNIVERSITATIS EBERHARDINO-CAROLINÆ

MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO DVCE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO

DVCE WIRTEMBERGIÆ ET TECCIÆ REGNANTE

REL.

AVCTORITATE GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ

PRÆSIDE

VIRO MAGNIFICO, EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

GOTTL. CONR. CHRISTIANO STORR

MEDICINÆ DOCTORE, HVIVS, CHEMIÆ ATQVE BOTANICES

PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO

VNIVERSITATIS H. T. PRO-RECTORE

PATRONO COLENDISSIMO

PRO GRADV DOCTORIS MEDICINÆ

LEGITIME OBTINENDO

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR RESPONDENS

PHILIPPVS ADAM HOELDER

GOERLINGENSIS

DIE JVLII MDCCLXXX.

TVBINGÆ TYPIS FVESIANIS.

SERENISSIMO ATQVE POTENTISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO

CAROLO

DVCI WIRTEMBERGIÆ ET TECCIÆ

REGNANTI

COMITI MONTISBELIGARDENSI

DYNASTÆ IN HEIDENHEIM

ET JUSTINGEN

REL. REL.

DOMINO, NVTRITIO, EDVCATORI SVO

LONGE CLEMENTISSIMO, LIBERALISSIMO, INDVLGENTISSIMO.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30792034

DVX SERENISSIME AC POTENTISSIME

DOMINE CLEMENTISSIME

PATER OPTIME!

Ad exprimendum, quo perfuſus hodie ad TE provolvor, gratiſſimi animi ſenſum, ad litamen offerendum TE non adeo indignum majori, quam concipere poſſim, virium modo opus mihi eſſet. Deſponderem animum, deſtitutus omnibus, quæ auſus excuſaverint utcunque temeritatem, niſi eadem Optimi Principis, quam celebrare geſtio cum maxime, Generoſiſſima me Indulgentia erigeret. Accipe itaque, SERENISSIME PRINCEPS, nam mola ſalſa litant, thura qui non habent, accipe, quas poſſum, non quas debeo, gratias pro beneficiorum infinito numero liberaliſſime in me collatorum, Tuum hactenus

Alumnum, ſola Clementiſſimi Nutritii munificentia eo deductum, ut, perproficuum mihi in militari Tua Academia emenſus ſtadium, Tuam nunc Eberhardino-Carolinam ſtudiorum Vniverſitatem accedere, ſummosque hic in Medicina honores ambire potuerim. Qui me cum maneant, cum munus maneat exoptatiſſimum, qui poſſim non ad Summum fortunæ meæ Auctorem quam gratiſſimus referre, quidquid auſpicati ſeſe offert tum retroſpicienti, tum circumſpicienti, tum proſpicienti. Si vel facundiæ in me quidquam eſſet, vividiſſimo id cedere deberet ſenſui, quo, dum hæc cogito, adficior. Patere itaque, Benefactor Optime, ut verecunde obmuteſcens defixum alta mente ſenſum foveam, totum me Tibi vindicantem, ut nunc, præ ſenſus vi ſermone memet interdicens, immortale alam propoſitum, opere, cum datum fuerit, docendi, quam eſſe ſtudeam

SERENISSIMI NOMINIS TVI

CVLTOR PIENTISSIMVS, DEVOTISSIMVS
SVBMISSISSIMVS
PHILIPPVS ADAM HOELDER.

§. I.

Spaſmus maxillæ inferioris, cynicus aliis, quibusdam veterum Capiſtrum, hodie Trismus appellatus, ſpasmus eſt muſculorum temporalium, maſſeterum, flexorum colli capitisque & conſtrictorum pharyngis. Præcipuam ejus ſpeciem rigor conſtituit inferiorem maxillam tanta vi ad ſuperiorem apprimens, ut nullo modo inde avelli queat. Hæc ſpecies Tetanus maxillæ audit. Immobile caput eſt, dura ligni inſtar maxilla, durum collum & rigidum, & lancinantes per genas vexant dolores. Inſimul & pharynx ſpaſtice conſtringitur, & in conſenſum vocatur larynx, ut ſumma adſit deglutitionis difficultas, ut fere intercipiatur ſpiritus. Nec raro pervertuntur oculi & labia. Si ſpaſmus maxillæ non tetanodes, ſed convulſivus magis fuerit, maxilla mox adducta, mox iterum abducta tremat, dentes ſtrideant, & monſtroſe diſtorſa facies, detectis dentibus, canis ringentis vultum referat, ſpaſmo huic cynici, ſive canini, riſus etiam Sardonii nomen datur; Hæc altera Trismi ſpecies habetur. Haud raro aliorum quoque muſculorum convulſiones vel tetani accedunt, eorum præcipue, qui dorſum flectunt, & caput & pectus elevant, & verſus poſteriora inclinant. Hi enim, dum præ antagoniſtis ſuis, anticis trunci muſculis, ſuperpondium nacti ſint, vehementer dorſum incurvant, caput retrorſum agunt, pectus attollunt, quod mali genus opiſthotonum veteres medici vocarunt. Accidit interdum, rarius tamen, contrarius in anterioribus trunci muſculis tetanus, qui eadem ve-

hementia truncum verſus anteriora torquet, incurvat, pectusque deprimit, epiſthotoni nomine diſtinctus. Nonnunquam & uterque alternatim hominem invadit, prout unus aut alter horum antagoniſtarum præ altero ſortitus ſit vim prævalentem, & ſtrictus fuerit vel reſolutus. Remittentem rigoris inſultum ſumma virium proſtratio, quin ſæpe etiam lipothymia excipit, aliique leviores hinc illinc ingruentes ſpasmi, fortiori vero inſultui iterum cedentes.

§. II.

Alteram Triſmi ſpeciem modo attigi, clonicam nempe, cum muſculi maxillam inferiorem moventes alternatim ſtringuntur & laxantur. Neque enim vanum eſt diſcrimen ſpasmorum, quod a modo, quo muſcularis motus depravatur, deſumi ſolet. Nunc enim ſpasmus hominem ita tenet, ut, vel aliqua in parte, vel totus rigeat, nunc autem eum in modum hominem affligit, ut univerſum corpus, vel ſaltem aliquod, vel plura membra alternis motibus contrahantur & relaxentur. Scire autem juvat, ſcholas id ſpasmi genus, quod rigore ægrum tenet, tonicum, illud vero, quod alternis ſtricturis & relaxationibus conſpicuum eſt, clonicum vocare. Igitur ſecundum hanc denominationem Triſmus quoque in tonicum & clonicum diſpeſci poteſt.

§. III.

Cauſas triſmi quod attinet, eas in prædiſponentes & occaſionales dividimus. Prædiſponentes cauſæ, ſi quæ dentur, vix e multiplici caſuum individualium farragine erui poſſunt, neque generale quidquam ex tanta diverſitate abſtrahi poteſt. Nulla quidem, quantum novi, temperies præ alia, neque ullus prægreſſus morbus præ alio ad hunc præciſe morbum proxime diſponit.

Videtur tamen tenerior nervorum diſpoſitio morbo favere, quum maxime infantes huic morbo pateant, & calidiſſimarum regionum incolæ, quibus vis nervea labefactata, bilisque turgens vitia familiaria eſſe ſolent, poſt quæcunque facile vulnuſcula, vel & a refrigeriis incautis Triſmo corripiantur.

Cauſæ occaſionales variæ ſunt: Primo quidem rigor iſte vulneribus aponevroſium atque tendinum præſertim accedit. Sic læſa illa aponevroſis, quæ mammis ſubſtrata eſt, ſic vulnus faſciæ latæ femoris ejusque propagini in tibia, ſic vulnus digitorum phalangibus eorumque aponevroticis membranis inflictum ſpasmum hunc excitaſſe, obſervatores memorant. Sed plures Phyſiologi, quos inter primum locum ſibi vindicat HALLERVS, omnem irritabilitatis, omnem ſenſibilitatis prærogativam tendinibus & aponevroſibus denegandam exiſtimarunt, & in Primis Lineis Phyſiologiæ *a*) notat HALLERVS, nil ſentire, quod nervos non acceperit, duram neque adeo ſentire matrem, neque tendines, ligamenta, ſecundas, oſſa lata & cartilagines (Aponevroſes, quæ nil aliud ſunt, quam tendines in latas membranas diducti, hic ſubintelligit). Certiſſimum tamen, & per ſexcentas ſtabilitum eſt obſervationes, vulneratas aponevroſes atque tendines, ſi non rigorem hunc pediſſequum ſemper habeant, ſemper tamen gravius inflammari, inflammata gravius dolere, difficilius ſuppurare, gravioraque trahere ſymptomata. Læſa ſepti transverſi pars tendinea multo gravius affligit, quam ipſa ejus carnoſa portio vulnerata, & ſtatim vehementiſſima ſpaſtica trahit ſymptomata, convulſivum ſcilicet ac ferociſſimum iſtum ſingultum, atque ipſum demum iſtum Sardonium riſum, & tantum abeſt, ut talis inflamma-

a) Cap. X, de Cerebro & Nervis. §. CCCLXV.

matio benignam admittat criſin atque ſolutionem, quin potius internecina ſit. Cum vero conſtet, quantum ad exaſperandas inflammationes nervi conferant, quantum ad ſuppurationem aut promovendam, aut impediendam atque corrumpendam faciant, cum dolores a nervis petendos eſſe compertum habeamus, cum nervis ſolum conſenſum & convulſivos motus propagatos tribuere poſſimus, concludi inde poſſe videatur, & aponevroſibus & tendinibus nervos ineſſe, atque ſenſum, ſi non phyſiologicum, eo acutiorem tamen pathologicum. An vero nervi fabricæ harum partium intexti ſunt, & conſtitutivam partem earundem partium conſtituunt, ut BOERHAAVIUS *b*) aſſerit, an tranſeant ſaltem, alias petituri partes, nec niſi hoſpites hic ſunt? Prius vix erit, cum non opus ſit, poſterius a vero propius abeſſe putem. Equidem credo, HALLERUM, quem ſymptomata iſta læſis aponevroſibus atque tendinibus ſupervenientia nequaquam latuerant, id ſaltem agere voluiſſe, ut priorem opinionem refutaret, poſteriori vero ſic ſatis ipſum favere. Bene enim compertum habuit, carioſas oſſium deſtructiones in venereis aliisque magnos dolores ciere, ſed id eum non impediit, quo minus aſſereret, oſſa lata nullos nervos habere. Quidquid tandem in contrarium proferat theoria, rem noſtram ipſa experientia propugnat, quod ſufficit. Vulneratis itaque tendinibus, aut aponevroſibus, aut ſaltem iis locis & partibus corporis, quibus iſtæ adnexæ & confines ſunt, ſemper aliquid monſtri metuendum, nec vulnus negligendum eſt. Non quidem ſubito ſemper & primo ſtatim die funeſtus iſte maxillæ rigor ingruit, inflammatorium ſtadium, quin interdum etiam omne fere ſuppuratorium tacite tranſigi poſſunt, ut vix ſuſpectum, vix gravius ſympto-

ma

b) Inſtitut. med. §. 395.

ma metum incutiat, pus bonæ notæ gignatur, febris mitior, quin plane nil febrile adſit, omnia tranquille agantur. At inſidioſa iſta quies eſt, æger enim poſt aliquod tempus rigiditatem & difficultatem aliquam in capite movendo ſentit, & cum labore deglutit, & fugacium cervicem maxillamque pererrantium tenſionum ſenſum habet, quæ quidem omnia paulatim increſcunt redeuntque frequentius, & gravioribus ſymptomatibus ſtipantur *c*). Plerumque etiam dolores vagi per abdomen obſervantur, aut moleſtus quidam præcordiorum dolor & inappetentia & nauſea antecedunt. Os jam non amplius totum aperiri poteſt, & loquela intercipitur, quæ omnia aucta & exacerbata nunc excipit dirus iſte maxillæ inferioris tetanus cum ſymptomatum concomitantium & pediſſequorum horrenda cohorte. Neque tamen ſemper tantum intervallum inter vulnus inflictum & tetani inſultum eſt, neque ſemper tam lente invadit & tot prodromos agnoſcit, magis derepente interdum, & quaſi ex improviſo ſecuros deprehendit Medicos & ægrotos. Sub ſpaſticis hiſce turbis pus vulneris, antea optimam præ ſe ferens naturam, in fœtidum, diſſolutum, decoloremque ichorem degenerat, vulnerata pars gangræneſcentis inſtar concidit & flacceſcit, interdum etiam, verum pus quod adeſt, ne minimum oſtendit corruptelæ veſtigium. Contingit etiam, quod ipſum tamen minus conſtans eſt, ut vulnus ſub tetani inſultu magis dolere incipiat. Omnia fere excretoria cola ſpaſtice occluſa eſſe videntur, nil tranſpirat, nil per alvum dejicitur, parum per urinam ſecedit, idque pellucidum & aquoſum eſt, urinæ ſimile, quam hypochondriaci, hyſtericæ, epileptici mittere ſolent, ſpaſticæ ſcil. ſeu

c) *Schmukers chirurgiſche Wahrnehmungen. 2ter Thl. 6te Beobachtung.*

ſeu ſplenicæ urinæ. Declinante morbo ſudores erumpere & exanthemata provenire viſa ſunt, inconſtanti vero præſagio. Sævientibus ſpasmis & ſanguis vivacius per ſuas arterias ruit, animatur pulſus, & in plenitudinem quandam exſurgit, & durus fit, & inflammatorii inſtar tangentis digitum ferit, aut etiam parvus & contractus cum quadam celeritate, ad ſpeciem illius, quem malignæ putridæ exanthematicæ ſecum ferunt, obſervatur. Neque tamen ſemper aut ſpaſticus eſt, aut inflammatorius, & tardus nonnunquam, neque id raro admodum exemplo, & languidus eſt. Adeo quidem, ut in pluribus ſubjectis ſibi ſimilis non ſit, ſed & in uno eodemque ſubjecto, Prothei inſtar, varias formas induat, atque a conſueto tramite non uno modo aberret; Generatim enim pulſui in omnibus iſtis morbis, qui ſpasmos conjunctos habent, ne nimium fidas. Mens nihilominus, quod mireris, in hac tetani ſpecie raro perturbata eſt, ægrique plerumque mentis compotes moriuntur.

§. IV.

Non autem ſola aponevroſium tendinumque vulnera producendi ſpasmi cynici triſte privilegium habent, & in alios morbos fatalis incidit hoſpes, & ab aliis producitur cauſis. Febres ſcil. malignæ gaſtricæ, illi analogum, imo ipſum verum interdum hunc tetanum adſciſcunt. In cæteris ſymptomatibus inter morbum tetanodem & malignos maxima obtinet ſimilitudo. Hic ergo ſaburra quædam bilioſa putrida in primis viis nidulans pro cauſa Triſmi eſt, isque hic conſenſu naſcitur, per commercium ſcil. nervorum chylopoieſi inſervientium cum nervis maxillæ, gutturis & partium vicinarum. Quidni memorem eam ſpeciem, quam in-

infantes tenerrimi nonnunquam, neque raro admodum exemplo experiri ſolent, quæque tantam in iis ſtragem edit! Jam olim diligens Naturæ obſervator BRENDEL *d*) in Programmate de Tetano maxillæ inferioris infantili diſertis verbis de illa ſermonem fecit. Ejusque is ex ſymptomatibus concluſit, morbum eſſe ex primis viis conſenſualem, ſemperque harum in latebris ſaburram quandam nervos laceſſere. Hæc autem ſive acida ſit, ſive bilioſa, quod fere rarius obtingit, ſive verminoſa, indicationes medici ad evacuandum ſemper dirigit. Exemplum Triſmi infantilis præbere poteſt hiſtoria Profeſſoris Celeberrimi, D. CONSBRVCH benevolentia ſuppeditata, quæ hæc eſt: Infans unius, & quod excedit, anni, habitus corporis ſatis boni per novem ſeptimanas ex ſeroſa diarrhœa laborabat, quam parentes variis domeſticis remediis aggreſſi demum ſupprimebant, quo facto ſubito puella ſpasmo maxillæ inferioris corripiebatur. Maxilla inferior firmiter ſuperiori apprimebatur, & vix ita diduci poterat a matre, ut infans ſitiens & eſuriens juſculum vel lac ſorbere poſſet. Data remedia potiſſimum fuerunt laxantia, antiſpasmodica & anthelmintica, ſcil. Rheum, radices Jalappæ, Sulphur auratum Antimonii 3*tiæ* præcipitationis, pulvis antiſpasmodicus nitroſus, ſemen Cynæ, Liquor C. C. ſuccinatus, Moschus; Sed omnia nil proficiebant, neque facile ab infante moroſo juſta doſi capiebantur. Cæterum infans utcunque valebat, neque tum, quantum quidem Experientiſſimus Dominus Profeſſor CONSBRVCH, obſervare potuit, febricitabat. Interjecto menſis intervallo variolæ ſpuriæ inter leves febriles motus in conſpectum veniebant. Præſcripſit hanc Mixturam:

R. Aq:

d) In Opuſc. math. & med, argum. T. I. p. 189.

R. Aq: flor: Sambuc. Vnc. tres.
flor: Sulph. Scrup. vnum.
Moſch: el. gr. tria.
Nitr: dep. Scrup. dimidium.
Liq: anod: min: H. Scrup. vnum.
Syr: flor: perſic. Vnc. dimid.
M. D. S. *Alle 2 St. 2 L. v.*

Sub uſu hujus medicaminis ægrotula intra biduum a ſpaſmo maxillæ inferioris liberata, magna cum voluptate pulticulas comedere cœpit. Diarrhœa rediit, & per 8 ſeptimanas continuavit ſibi relicta. Hodie optime valet infans.

Saburram aliquam in primis viis nidulantem cauſam hujus Triſmi extitiſſe, ſatis manifeſtum eſt; Dum hæc ibi locorum delituit, excitato conſenſu dictum ſpasmum produxit; Simulac ad vias ſecundas transmiſſa materies in nothas variolas defluxerat, ſilente conſenſu, ſiluit tetanus.

§. V.

Nec vero ſola bilis, ſolum acidum aut vermes Triſmum per conſenſum producere poſſunt; Experientia docet, eundem æque ex aſſumtis variis venenis ſæpiſſime ortum duxiſſe. Horrida inter ſpaſtica ſymptomata, quæ ſumta varia venena vegetabilia mox ſubſecuta ſint, præcipue & Triſmus, isque violentiſſimus totaque reliqua pediſſequa malorum turba, opiſthotono &c. ſtipatus occurrit *e*). Quem quidem prorſus conſenſualem ex ventriculo ortum ducere, curatio docet; Poſt paucos nempe vomitus aut cura Medici excitatos, aut ſpontaneos, excuſſa ſcil. planta venenata & bile corrupta, horrenda ſymptomata omnia cum tetano

e) J. F. GMELIN *Abhandlung von den giftigen Gewächſen &c. &c.*, *Ulm* 1775. 8.

tano maxillæ inferioris, cum opiſthotono iſto cet. conquieſcunt. Exempla hujus rei in libro citato plurima adferuntur.

§. VI.

Nonnunquam vero ſpasmus cynicus metaſtaſi nervoſa producitur, ſuppreſſis excretionibus materiæ cujusdam ſive pathologicæ, ſive phyſiologicæ ſuccedanea. Sic perſpirabili materiæ *f*), præſertim, ſi non nihil acris iſta fuerit, ad interna relapſæ, ſic exanthematibus ſive acutis, ſive chronicis retropulſis, ſic ulceribus ſpontaneis, aut ſponte, aut ſiniſtra medicaſtrorum medela exſiccatis, ſic rhevmatismo, arthritidi atque podagræ intus verſis haud raro Trismus ſuccedit. Vocamus huncce Trismum metaſtaticum, de quo memorabile exemplum conſignavit egregius hujus morbi illuſtrator Cel. AKERMANN *g*). An iſta materia retropulſa intra vaginas atque cellulas nervos circumveſtientes depoſita eſt, ibique per acrimoniam ſuam aut mechanicam preſſionem dolores atque ſpasmos excitat? An id illa innuit iſchiadis ſpecies, quam Cottunnius adnotavit? An acris ibi quædam materies in amplam & laxam iſchiadici nervi vaginam exſudavit? An potius in alias partes decubuit, quæ vero ob magnum cum nervis maxillæ aliisque vicinis commercium ſpasmum iſtum per conſenſum produxerunt, primas vias volo, aut viſcera abdominalia quæcunque? Sane altioris hæc indaginis eſt diſquiſitio, quam ego quidem aggredi nec valeo, nec audeo.

§. VII.

f) Trismum a tranſpiratione retrogreſſa in muliere vidit Cel. WEICKARD. vid. Ill. BALDINGERI *Magazin für Aerzte. St. II.* p. 179.

g) D. J. C. G. AKERMANNS *Abhandlung über die Kentnis und Heilung des Trismus. Zweite Ausg. Nürnb.* 1778. 8.

§. VII.

His nunc probe perpenſis, duo potiſſimum Triſmi genera ſtatuenda videantur. Primum genus eſt, in quo ſpasmus ex cauſa externa ſive læſione aponevroticæ ſive tendineæ partis oritur, alterum, in quo a cauſis internis quibuscunque producitur. Hinc adventitius alter, alter inquilinus non inconcinne dici poterit. Inquilinus iterum alius ab alio differt, alius enim e primis viis conſenſualis eſt, quem gaſtricum voco, alius ex metaſtaſi quadam oritur, quem metaſtaticum appello. Metaſtaticus iterum aut exanthematicus aut arthriticus &c. eſt. Harum autem diſtinctionum in formandis indicationibus negari uſus nequit.

§. VIII.

Expoſita nunc Trismi hiſtoria, disquiſitis cauſis, enarratis ſymptomatibus, quæ præcedunt, comitantur & ſequuntur, perpenſis reliquis momentis, quæ fida obſervatio ſubminiſtraverit, ad ipſam illuſtrandam cauſam proximam, morbique theoriam explanandam pro virium modulo progredi animus eſt. Negari quidem nequit, in lubrica hacce palæſtra non ea fiducia, quæ mathematicis ineſt demonſtrationibus, ſed modeſta ſaltem conjectura procedi poſſe; Interim ſi non certa omnique dubio ſuperiora traditurus ſum, ſtudebo tamen veroſimilia proferre fideque experientiæ nondum ſaltem repudiata. Ab ea Trismi ſpecie exordior, quæ ex cauſis inquilinis iisque præcipue gaſtricis provenit, quæ quippe ceteris fundamento quaſi eſſe poterit, uti ex ſequentibus patebit.

§. IX.

Latet hic circa primas vias in cauo nempe ventriculi atque inteſtinorum acrior quædam colluvies, acidæ ſæpe indolis aut mucoſæ atque verminoſæ in infantibus, bilioſæ putridæ in adultis,

tis, quæ nervos harum partium ſenſiliſſimos laceſſit. Conſtat autem officinam chyli præ reliquis humani corporis partibus copioſiſſimis nervis regi, magnosque plexus recipere; conſtat, eas partes eſſe ſenſiliores, in quas nervi papillatim patent; conſtat, ventriculi & inteſtinorum nervos præcipue ramis nervorum ſympathicorum magni & medii formari, & latiſſime patente cum reliquis corporis partibus conſenſu per ganglia & plexus cohærere quam plurimos. (Non eſt, ut ad conſenſum vaſorum hic recurramus, qui neque imo ventri ſoli competit, neque ad explicationem tetani multum valet). Conſenſus iſte nervorum primarum viarum cum partibus corporis reliquis, quem Anatomia extra omne dubium ponit, per Phyſiologiam quoque & Pathologiam comprobatur. Quid enim laſſitudo iſta & ſomnolentia & impotentia ad peragendos motus voluntarios, quæ ſtomachum repletum ſequitur, aliud eſt, quam conſenſus nervorum harum partium cum nervis ſtomachicis ad hominis ſalutem tendens, ſed pertinacia & negligentia male ſani hominis toties fruſtratus? Quot demum aliis morboſis effectibus nervoſus primarum viarum cum omnibus partibus corporis humani conſenſus evincitur? Tot teſtes reputa immanes capitis dolores, tot ſpaſticos per ſuperiora corporis & inferiora erraticos dolores, male ſæpe pro rhevmaticis habitos, tot deliria taciturna & furioſa, ſtupida, nugatoria, melancholica, tot ſopores, tot convulſiones particulares & univerſales, ſub mille formis ſeſe efferentes, tendinum iſtos ſubſultus, labiorum tremores, oculorum perverſiones, graves acutosve auditus, carotidum micationes inſolitas, ſpaſticos iſtos fugacesque per faciem effuſos rubores, fugacesve iſtos pallores, lipothymias & alia plura in febribus gaſtricis malignis obvia ſymptomata uno aliquando ſubito evanida tempeſtivo vomitorio. Adde ſpasmos iſtos paralyſesve hypochondriacis corporibus aut hyſtericis ſolen-

 nes,

nes, quæ ſigillatim recenſere hic foret nimium, convulſivos iſtos infantum motus a vermibus in inteſtinis nidulantibus, riſus iſtos involuntarios, geſticulationes alienas, choream Sti Viti, quæ omnia expulſis ex inteſtinorum mucoſis latebris repente ceſſant vermibus. Nec inepte Triſmus ille calidarum regionum incolis a refrigerio per noctes gelidas, tum & neophytis ſimilima de cauſa adeo extimeſcendus huc æque referatur, cum perſpirabilis materia ad primas vias retropreſſa eadem ibi mala creare poſſit. His omnibus perpenſis quis dubitet, latiſſime patere primarum viarum cum partibus humani corporis vel maxime diſſitis conſenſum. Neque hic ſubſiſtendum. Conſtat præterea, peculiare atque propius commercium primas vias alere cum iis partibus, quæ ſub Triſmo convelluntur, faucibus, larynge, pharynge, univerſo collo, & maxilla. Referas huc conſtrictiones iſtas ſpaſticas pharyngis & laryngis in hypochondriacis atque hyſtericis, & in iis, qui febribus malignis gravibus decumbunt, varios iſtos per maxillam dolores, perque collum & cervicem vagantes, & ſtupendum illud ſymptoma in rabie canina obvium, hydrophobiam ſcilicet, quæ ſpasmus eſt pharyngis, ex hepate aut primis viis conſenſualiter obortus, & luculentum pro natalibus Triſmi ex imo ventre argumentum præbere poteſt, cum eadem cauſa, quæ hydrophobiam produxit, & Triſmum effeciſſe obſervata ſit *h*). Imus venter itaque & ſigillatim ventriculus ac inteſtina ſympathiam fovent generalem cum omnibus partibus, fovent ſpecialem cum partibus in Triſmo læſis. Nec ſic porro mirum eſt, latente in primis viis quadam ſaburra, ſpasmum cynicum ſuboriri, quod & confirmat exoptatus eventus, ceſ-

h) GMELINS *allgem. Geſchichte der Pflanzen-Gifte. II. Abſchn. von den betäubenden Pflanzen-Giften.* p. 229. 230.

ceſſantis ſpaſmi cynici ab exturbata ea ſaburra aut vomitoriis, aut purgantibus, aut anthelminticis. Hæc fere ſunt, quæ & cadaverum inſpectiones, & morborum obſervationes ſuppeditant ad illuſtrandum iſtum ſpasmum; Res ipſa in aperto eſt, licet modus ad naturæ referendus ſit myſteria.

§. X.

Tranſeo ad ſecundam ſpeciem, quæ vulneribus aponevroſi cuidam aut tendini inflictis ſupervenit, adventitium Trismum, quod omnino difficilius thema eſt. Neque hic experientiæ limites extravagabor, neque ſpeculationibus meis Lectorum fatigabo patientiam; Collatis iis, quæ obſervationes practicæ ad illuſtrandam rem ſuppeditabunt, theoriæ demum qualiacunque periclitabor primordia. Trismus adventitius oriri poteſt aut ex immediato conſenſu nervorum partis afflictæ cum nervis maxillæ, gutturis atque colli, aut ex mediato, h. e. dum læſis tendinibus aut aponevroſibus eorumque nervis aliæ corporis partes per conſenſum afficiuntur, quæ partes dein per conſenſum ſuum cum nervis muſculorum maxillæ & partium deſcriptarum, Trismum producunt; Poteſt & contingere, in tali vulnere, ut ſuppurationis expectatæ loco humores inflammati vel ſpasmorum interventu vel quacunque alia de cauſa corrumpantur & ſub hac corruptione aliquod miasma generetur, quod reſorbtum & ſanguini immiſtum aut per metaſtaſin nervoſam immediate, aut mediate per conſenſum ex loco, in quo depoſitum eſt, Trismum efficiat. Triplici iſto modo ratio reddi poſſe videtur oborti hujus ex vulnere ſymptomatis. Diſpiciendum jam, quem modum caſta obſervatio admittat.

§. XI.

Ex vulnerati cujuscunque nervi cum maxillæ nervis immediato conſenſu Triſmum ſuboriri, plura ſunt, quæ recuſare videantur. Non urgeo, quod exiliſſimus ſæpe nervulus, oculi cultrive anatomici eludens aciem, horrendum ejusmodi ſpasmum cum tanto aliorum æque vehementium agmine producere poſſit, nullaque inter nervi exilitatem & ſymptomatum immanem magnitudinem intercedat proportio, præſertim cum ſub horum maxima exaſperatione interdum alienum quidquam in loco vulnerato percipi vix poſſit. Conſtitit autem experientia, vel amputato membro afflicto, funeſtum tamen aliquando Triſmum ſuperſtitem fuiſſe, quin ſuperveniſſe, gravi argumento, talem Triſmum ex afflictione nervorum vulneratæ partis immediate ortum non fuiſſe; Deficiente enim cauſa, unde venerit effectus? Hic itaque non poteſt non ſupponi aliquid per vulnus parti corporis illatum a vulnere remotæ, nec ab amputatione membri motæ, ex quo Triſmus natus fuerit intelligendus. Deinde, ſi immediato cum vulnere conſenſu cohæreret iſte rigor, nonne citius fieri deberet invaſio, quam fieri res ipſa docet, nonne ſaltem ſub inflammatorio ejus ſtadio deberet ingruere, in quo nervi tenſione maxime plurimum patiuntur, in quo omnia graviora ſunt? Sed experientia frequens edocet, quod ipſa aliquando inflammatione jam in ſuppurationem verſa doloribus partisque tenſionibus jam remittentibus interjectis adeo ſat notabilibus temporis intervallis Triſmus demum acceſſerit. Sane, ſi talis tetanus immediato niteretur vulneris conſenſu, ad eum producendum magis opportunum foret ſtadium inflammatorium. Quod cum non ſic contingat, habeo, quod afferam, nec talis Triſmi explicationi ex immediato conſenſu adſtruendæ annuere experientiam, habeo, cur ali-

aliunde repetendum explicationis fundamentum judicem; Quod quale ſit, inveſtigandum porro erit.

§. XII.

Progredior itaque ad alteram quæſtionem, an ſcil. ex læſis vulneratæ partis nervis aliæ interiores corporis partes conſenſualiter lædantur, ex quarum læſione Trismus proveniat, & quæ iſtæ partes ſint? Ad has ſolvendas quæſtiones inveſtigandum eſt præcipue, quæ partes, quænam functiones infeſtante Trismo potiſſimum laborent? an iſtæ partes aliquem cum vulnere conſenſum alant? an conſenſum alant cum maxilla, collo & faucibus? an ſpasmus remittat remittentibus earum affectionibus, ceſſet ceſſantibus? an inter adventitii & inquilini Trismi phænomena analogia intercedat, quæ theoriam hujus ad illam ſinat transferri.

§. XIII.

Ad primam quæſtionem ut reſpondeam, hiſtoriam præmitto potioribus Trismi adventitii ſymptomatibus cognoſcendis inſervituram. Quali ex proprie experientiæ penu ſuppeditandæ impar mutuo candide deſcriptum caſum e Todiana Bibliotheca medico-chirurgica *i*): PETER BOYE, *ein armer-Taglöhner, 55 Jahr alt, hatte im November 1774 das Unglük, daß ihm das äuſſerſte Glied des linken Mittelfingers ganz zerquetſcht war. Vier Tage nachher ward er mir von der Kirchſpielpflege als ein Kranker angewieſen. Er klagte über Huſten, ſteifen Hals und reiſſenden Schmerzen in den Wangen. Von der Beſchädigung an der Hand ſchwieg*

i) 2ten Band p. 166. *Bemerkung von einer Mundſperre und Rückenſtarre, die durch einen reichlichen Gebrauch des Mohnſafts iſt gehoben worden. von Hrn Sibbern, Wundarzte an der Armenpflege und den Hoſpitälern auf Chriſtianshafen.*

ſchwieg er ſtill. Ich dachte alſo, daß es etwa ein Rheumatismus ſeyn möchte, und verſchrieb ihm HUXHAMS *Spiesglas-Eſſenz zur Wiederherſtellung der Ausdünſtung. Am folgenden Tage war er an allen Gliedern ſtarr; Diß ließ zwar nach, befiel ihn aber bald wieder. Genieſſen konnte er nichts. Als ich zu ihm kam, und ihn über dieſe ſchrökliche Umſtände näher befragte, ward ich erſt eines Verbands am Finger gewahr, und man geſtand den Vorfall. Ich beſah den Finger: er war voller Jauche und ſtank ſehr. Durch den Gebrauch des Balſams von Peru heilte ich ihn innerhalb 14 Tagen. Ich komme aber zu dem Hauptgegenſtand dieſer Beobachtung, zu dem Krampfe. Die beide Schlaf-Muskeln und Käu-Muskeln waren hart als Holz und voller Schmerzen, die untere Kinnlade unbeweglich; die Zähne angeſchloſſen, das Geſicht blutroth und mit einem kalten Schweiſe bedekt, die Stimme heiſſer, das Athemholen keichend, der Hals und der ganze Rüken ſtarr und ſchmerzhaft, die Bauch-Muskeln, zumal die geraden, ſtramm wie Strike, nur die Augen wurden hin und her bewegt. Wenn dieſer Anfall aufhörte, hatte der Kranke Schwindel, Ohrenklingen, Huſten, Beängſtigungen, einen krampfhaften Schmerz in der Herzgrube, der bis an den Rüken drang, ſchweifende Stiche in der Seite, Müdigkeit, Neigung zum Brechen. Der Leib war verſtopft, und nur durch Klyſtiere offen gehalten. Der Puls war klein und unordentlich und doch nicht geſchwinde.*

Ehe ich eine Heil-Methode befolgen konnte, mußte ich erſt einen Weg finden, wordurch ich dem Kranken innerliche Arzneyen beybringen konnte. Zum Glük mangelte ihm oben im Munde ein paar Schneidezähne. Nach einer vorgängigen Aderläſſe gab ich ihm das in ſolchen Fällen ſo bewährt geprieſene Mittel, den Mohnſaft, doch nur zu einem Gran alle 4 Stunden. Als den Tag darauf

auf noch keine Erleichterung bemerkt war, ließ ich es jede Stunde nehmen. Denſelben Abend aber bekam er Schwindel, Ohrenſauſen, Aufblähungen unter den Rippen, Kopf-Schmerzen und andere Zeichen einer Wallung des Bluts nach dem Kopfe, wie auch ein Naſenbluten, doch ohne Verminderung der Zufälle, und mit vollem, hartem, geſchwindem Pulſe. Ich ließ dem Kranken daher am Arme zur Ader. Das Blut hatte viel Fell. Dardurch war die Nacht ruhig, der Puls beſſer, und der ganze Körper gerieth in einen milden warmen Schweiß. Mit dem Mohnſaft ließ ich fortfahren. Am 4ten Tage nach meinem erſten Beſuche, konnte er den Mund ein wenig öfnen. Er ſpührte ein Juken über den ganzen Körper. Auch kamen mit dem Schweiß viele rothe Frieſelfleken zum Vorſchein, die ſich jedoch nicht in Bläsgen erhoben. In dieſen 3 Tagen hatte der Kranke zuſamen 36 Gran Mohnſaft bekommen. Da aber die Zufälle nun anfiengen ſich zu vermindern, ſo ließ ich auch die Arzney nach längern Zwiſchenzeiten nehmen. Bis zum 10ten Tage bekam der Geneſende noch 12 Gran. Alsdann waren die Umſtände ſo beſchaffen, daß ich aufhören konnte. Aeuſſerliche Arzneyen wurden gar nicht gebraucht, der Finger ward auch nicht abgeſchnitten, weil ich die Heilkraft des Mohnſafts ganz allein gebraucht prüfen wollte. Indeſſen wurden doch unter der Beſſerung einige ſtärkende Dinge gegeben. Anfänglich hatte der Geneſende einige Mühe, die Kinnlade zu bewegen: diß verlor ſic aber gar bald. Plures etiam aliis ſcriptoribus adnotatos recenſere caſus poſſem, cum hoc admodum convenientes, ſed temporis locique anguſtia preſſus paucis me expedio. Probe conſiderato cumque aliis collato hocce caſu, primum invenio, ſymptomata ex afflictis primis viis præ omnibus ſeſe extuliſſe, & in aliis quoque Trismi ſpeciebus aut eadem, aut ſaltem ſatis ſimilia fuiſſe. Quid enim aliud præcor-

 dio-

diorum iſtæ anguſtiæ, vomituritiones, vomitus, dolores per abdomen vagi, diarrhœæ, lipothymiæ, purpura denique, quæ toties corruptæ & in ſanguinem translatæ biliofæ ſaburræ ſoboles eſt? Adſunt itaque ſymptomata, primas vias læſas declarantia; Symptomata hæc & vi ſua & numero eminent; Unde colligere licebit, in Trismo adventitio potiſſimum primas vias læſas bilemque vitiatam ſubeſſe.

§. XIV.

Neque tamen id ſufficit, niſi doceatur, poſſe fieri, ut ex vulnere partis cujusdam externæ in conſenſum trahantur primæ viæ, perturbetur prima coctio, corrumpatur bilis. Numne potius primæ viæ fortuito læſæ ſunt? Num potius afflictiones mentis, terror atque metus, quarum magna vis in primas vias eſt, has produxerunt mutationes? Inter primas vias & externas partes magnum vigere commercium, extra dubitationem poſitum eſt. Afflictisque partibus externis primas affligi poſſe vias, certa experientiæ fide adſtruitur. Quis enim dubitaverit, qui viderit, poſt dolores membrorum acutos nata animi deliquia, & vomitus? Veram a plaga margini acuto tibiæ inflicta ipſe paſſus ſum lipothymiam. Quem fugit, gravem cerebri per vulnerationes vel concuſſiones læſionem æruginoſæ bilis vomitus crebro pediſſequos habere? Hic itaque non ſolum bilis ſubito per nervos alteratos alterata, ſed etiam ex alteratis nervis alterataque bile inverſus ventriculi motus natus eſt. Memini hominis, qui poſt femoris fracturam in veram febrem biliofam quin ſubputridam incidit; Is quidem obeſus toroſusque erat & in diæta ſibi multum indulgere conſueverat; Magna itaque ad vitia primarum viarum bilisque corruptionem illi erat diſpoſitio; Erumpentes miliares puſtulæ judicarunt hominem. Contigit & ante aliquod tem-

tempus, ſingulare hujus conſenſus exemplum, per liberaliſſimam PRINCIPIS Clementiſſimi indulgentiam, in noſocomio quodam Stuttgardiano videre: Virgo erat cataracta dudum in utroque oculo laborans, quæ, poſt operationem per famoſum Ophthalmiatrum Taylor ſiniſtro cum eventu olim inſtitutam, jam omnem fere ſpem de reſtitutione abjecerat. Hanc aggreſſus eſt dexterrimus ejus urbis Ophthalmiater D. REICHENBACH, qui operationem feliciter inſtituit. Utraque autem cataracta liberata ægra, lucis cupidiſſima, de reſtituto viſu nimium gaviſa, paucos poſt dies vehementem febrim incurrit doloribus in abdomine acutiſſimis, vomituritione, atque vomitu ſtipatam. Inflammatio oculorum exaſperata in ſuppurationem abiit, quæ utrumque oculum deſtruxit, ut nulla plane ſpes recuperandi viſus miſeræ relinqueretur. Novo ſic argumento patet, eadem facilitate a partibus externis corporis ad primas vias propagari poſſe conſenſum, qua extrorſum propagatur conſenſus a primis viis, eadem facilitate per conſenſum primarum viarum cum partibus externis bilem poſſe corrumpi, qua corrupta bilis per conſenſum remotas externasque partes afficit. Quod quidem ad propoſitam quæſtionem reſolvendam haud inepte applicari poſſe videtur, ut inde colligatur, affectiones iſtas primarum viarum adventitii Triſmi in conſortio obſervatas neutiquam fortuito, neque ex ſolo animi pathemate, ſed ex conſenſu vulneris cum primis viis natas eſſe. Noluerim ideo omnem animi pathematum in Triſmum vim repudiare, quin potius communicatum a Magnifico Præſide exemplum mihi fuit viri clonico Triſmo eidemque chronico ita obnoxii, ut, quoties animi pathema experiatur, tremor inſuperabilis maxillam plus minus vehementer agitet.

§. XV.

Itaque per vulnera aponevroſium & tendinum ad iſtas partes attinentes nervi ſingulari modo alterantur, ſive per id tenſionem fiat, ſive alio quocunque modo; Alteratio in nervis partium læſarum proximarumve facta ulterius propagatur & porro per conjunctionem cum pare vago & nervo intercoſtali in his quoque magnis longe lateque ſparſis nervis alteratio ſuccedit. Par vagum autem & intercoſtales nervi cum primis viis ita cohærent, ut læſis illis mox & primæ viæ lædantur. Læſi primarum viarum & hepatis nervi bilem corrumpunt, coctionem primam perturbant, magna enim nervorum in coctiones & ſecretiones vis eſt; Corrupta bilis per ſuum conſenſum Triſmum producit. Sic adventitius Triſmus in inquilinum abit; Sic uterque morbus gaſtricus eſt, & malignarum febrium ortui facile anſam præbet, ipſis ſubanalogus. Cur tamen in Triſmo adventitio haud adeo frequens delirium, quam in febribus gaſtricis malignis? Cur non tam luculenta putredinis ſigna? Cur ſpasmus potiſſimum maxillam parteſque deſcriptas petit, illiſque quaſi adfixus eſt? Hæc ſunt, quæ porro quæri poſſint; Nec ſola, fateor, hæc ſunt, quæ poſterorum curis enodanda, anguſtioris virium mearum moduli nimis conſcius relinquo.

§. XVI.

Excutienda tertii modi theoria ſupereſt, quam Triſmo adventitio intelligendo adhiberi poſſe ſupra monui. Sunt etenim, qui negent, dari immediatum maxillæ cum vulnerata parte ad producendum Triſmum adventitium conſenſum, negent &, imum ventrem per conſenſum lædi, ſed inde omnem repetant ſymptomatum indicatorum cauſam, quod per læſionem iſtam aponevro-

ſium

ſium & tendinum factam nervi adeo læđantur, ut pus bonæ indolis parari nequeat; Humores, pergunt, hinc corrumpi, ichorisque maligni naturam contrahere, ita, ut in vulnere miasma quoddam generetur, quod aut per metaſtaſin ad nervos decumbat, aut ad bilis officinam delatum hanc natura ſua miasmode imbuat, corrumpat, quo facto demum per conſenſum primarum viarum cum partibus deſcriptis vehemens iſte producatur tetanus. Huic nunc hypotheſi ipſa adeo quodammodo favere videatur experientia. Obſervatus fuit in hominibus Trismo adventitio laborantibus, puris loco, putridus e vulnere ſtillans ichor, læſa pars frequenter flaccida concidit, quaſi minaretur ſphacelum, & generatim in vulneribus aponevroſibus tendinibusve inflictis ſæpe ſordida, puris loco, ſanies deprehenditur, fœtida, tenuis, acerrima, ſtilum aliquando rodens vel argenteum. Subſimilis conditio quarumdam obſervatur partium glanduloſarum, quales mammæ ſunt, lingua, labia, glans penis aliæque partes, quæ læſæ facile ſcirrhos duros relinquunt, niſi cita reſolutione germinans malum ſuffocetur, nec cocto blando pure ſe expediunt, ſed in cancroſam malignamque corruptionem pronæ, miasma ſæpe generant, quod reſorbtum admiſtumque humoribus totam ſanguinis maſſam inficit, innumeros ſpasmos & plurima mala ciet. Conſtat porro, parte quadam gangræna corrupta, vaporem inde exhalantem gangrænoſum pro vero miasmate eſſe, quod vires animales ſubito proſternere, lipothymias, ſpasmos varios, variasque paralyſes per totum corpus producere poſſit, iis haud abſimiles, quæ in febribus malignis, peſtilentialibus, aut vera peſte obſervantur. Sic partis exiliſſimæ gangræna latius ſerpere totique corpori funeſta fieri poteſt. Unde concedi debet, ſub quibusdam vulneribus pro pure poſſe ichorem generari, ichoremque iſtum pro miasmate eſſe poſſe, quod ut alios plurimos morbos, ſic & cy-

 nicum

nicum ſpasmum gignere valeat. Quod & inde confirmatur, quod, amputato aliquando membro, Trismus ſit obortus, ſtillantibus e vulnere putris graveolentis materiæ paucis guttulis, ſubitoque concidente parte ſuperſtite. Conſenſus accuſari hic vix poteſt, ſaltem a partis primum læſæ ſtimulo nequaquam repetendus erit, cum nervi ſint diſſecti, ſymptomata autem vel vehementiſſima, diſſecto nervo, qui illa ciebat, penitus evaneſcere ſoleant. Hoc itaque in caſu admittendum erit, reſorbtam ſaniem miasmatis egiſſe vices, ſic ſpasmum cynicum moviſſe. Prolatis iis, quæ pro iſta theoria militant, & ea videamus, quæ repugnent: Fatendum ſane, non in omni Trismo adventitio ichorem gigni in vulnere, ſed & aliquando inde prodiiſſe pus laudabile. Exemplo fuerit ſupra citata obſervatio eximii SCHMUCKERI; Quum itaque non omni certe Trismo adventitio miasma tale ſubſternatur, hoc ipſo indicata theoria limitatur. Neque etiam præſentia ichoris ſpaſmi ubique cauſa fuerit habenda, quum ſæpe potius effectum conſtituat, quoties nempe antea ſævientibus ſpasmis demum ſupervenerit. Suppurationis operi in univerſum admodum infeſti ſpaſmi ſunt, mihique ipſi caſus innotuit ægri, fiſtuloſo dudum ulcere vexati, quod, iſto homine Phrenitide correpto, puris bonæ notæ antea excreti loco, nunc, ex quo furere cœpiſſet æger, ichorem fœtidum ploravit. Multo etiam frequentius degenerationem ulcerum habuerim effectum, quam cauſam ſpasmorum. Unicum addendum eſt, tam cito aliquando vulneri adſciſci Trismum, ut vix intelligi poſſit, quomodo hoc tempore & degeneratio puris, & miasmatis ad bilem iter, hujusque infectio contigerint, quæ omnia ex indicata theoria Trismum præcedere debuiſſent.

§. XVII

§. XVII.

Supereſt, ut quædam de curatione Triſmi adſpergam. Mitigatorie curare hic nil aliud eſt, quam ſpaſmorum violentiam aut ſopientibus demulcere, aut frangere per revellentia. Prius opii largo uſu potiſſimum obtinetur. Moſchi quoque virtus tum ad Triſmum, tum ad ſpaſmos alios magnopere commendatur. Et valerianæ, maxime ſylveſtris, haud inferior celebratur uſus. Optime autem junctim eximiorum medicaminum hæc triga adhibetur *k*). Minus efficaciæ ad ſopiendum jam præſentem Triſmum deprehenditur in balneis, fomentis, cataplasmatibus, quibuscunque demum topicis emollientibus. Revulſioni epiſpaſtica inſerviunt, ſinapismi maxime, atque veſicatoria. Hæc quidem pluribus ſimul indicationibus ſatisfaciunt. Agunt, aut ut revellentia, aut uti derivantia, prout ad affectum locum, aut ad diſſitum applicantur; Sic quidem ſanguinem a ſpaſtice conſtricta parte retrahunt, & inflammationibus a diuturno ſpasmo, vaſa anguſtante & humores incarcerante, metuendis præcavent, ſic inde retrahunt vires animales per oppoſitum ſtimulum. Agunt &, ut evacuantia, dum per bullam, quam attollunt, ſalſam aquulam educunt, & per ſuppurationem, quam relinquunt, multum peccantis materiæ eliminant, dum præterea ad cutem provocant humores, ſic etiam corruptam partem ad hoc colatorium invitant; Demum & urinam promovent, & acrimonia ſubtiliſſima inde reſorpta ſanguinis circulum incitant, cor & vaſa irritando. Docet ſane experientia, hæſitantibus exanthematibus pellentium remediorum vices egregie ſubire veſicatoria. Sinapismi partibus remotis applicati commode præſtabunt revulſionem, dum veſi-

k) AKERMANN. l. c.

veſicatoria prope affectum locum poſita derivent potentiſſime. Derivatio & aliqua obtinebitur mercurialibus. Putredo minitans, per corticem peruvianum erit ſuffocanda. In gaſtrica Triſmi ſpecie, quae a biliosa, putridave ſaburra ex primis viis conſenſualiter oboritur, emeticis atque purgantibus opus erit. In eo, qui a vermibus ortum ducit, anthelmintica proſunt, inter quae princeps aſa foetida, tum intolerabili odore, quo vermibus diſplicet, tum quod ipſa ſit nervina, & potentiſſimum tenacium humorum reſolvens. Mercurialium hic quoque magnus uſus erit. Urgente acido evacuantia, alcalina, amara, abſorbentia laudantur.

§. XVIII.

Ubi inquilinus Triſmus a metaſtaſi nervoſa ortum duxerit, prima lex eſt, ut naturam medicus ſequatur. Docebit haec, quas vias amet, quas repudiet. In metaſtaſibus nervoſis materiales quasdam licet ſupponere praegreſſas, ex quibus demum nervoſae ortum duxerint. Suppreſſas itaque materiales exonerationes reſtituere, indicatio eſt primaria. Sic ab arthritica podagricave retropulſa materie oriundum Triſmum artificialis Arthritis vel Podagra tollet. Hinc Sinapiſmi ac veſicatoria, locis indicatis applicata cum internis ſudoriferis, efficaciſſime praeſcribuntur. Sic Triſmus chronicus a ſcabie repulſa inſitione ſcabiei, ſic a quocunque exanthemate ſuppreſſo natus Triſmus per veſicatoria, perque diaphoretica curatur. Sic Triſmum ab ulceribus ſiccatis ortum ulcera ſanant artificialia; Prae aliis diaphoreticis in Triſmo camphorata conveniunt & cutem quam citiſſime petentia & amica nervis & putredini potenter reſiſtentia. In Triſmo metaſtatico quocunque ulcera artificialia utilia ſunt. Omnes enim metaſtaſes tum nervoſae, tum materiales ad ſuppurationem tendunt

& per eam ſubiguntur, „quicquid enim ſuppurat, ait Hippocrates, id non revertitur.„ Laudato quoque BRENDELIO hæc ulcera factitia ad Triſmum metaſtaticum, comprobata crebro uſu utilitate, magnopere commendantur. Sed diu ſunt alenda, ita ut veſicatoriis ſetacea, ſetaceis fonticuli ſubſtituantur, quos demum vel ad finem vitæ fovere prudentiæ fuerit. In Triſmo infantili ulceribus factitiis ſecundum BRENDELIVM non quidem nihil, minus tamen virtutis, eſt. Veſicatorium, inquit, cervici admovendum & alendum eſt, raro tamen reſtitui poſſunt. Uni adhibitam medelam ſcio, cui inciſionem ad os occipitis, pollice transverſo paulum latiorem, ſtatim ſupra initium aponevroſeos trapezii adhibueram, tot deſperatis caſibus admonitus. Vulnuſculo ſuppurante malum ceſſit. Forſan & hic, intentatum enim nihil relinquendum, inter cætera tempeſtivum & parvum ſetaceum ex uſu foret, de cujus ſucceſſu vix dubito. Nam malum hoc conclamati fere ominis eſt, & profecto valentiora requirit.

§. XIX.

Adventitii Triſmi triplex diſtinguenda tractatio, prophylactica primum, quæ funeſtum ſymptoma, cum metuendum fuerit, præveniat, deinde curatoria, quæ præſens ſtudeat abigere, palliativa demum, quæ in mitigando malo acquieſcat. Prima dum medico conceditur, omnem moveto lapidem, ab hoc momento enim omnis ægri ſalus pendet. Et hoc negligere perinde fuerit propemodum ac hominem necare. Secunda parum certi pollicetur, neque hic eſt in medico ſemper relevetur ut æger. A tertia, & nomine fatente, non vita, mitius ſaltem expectatur fatum.

§. XX.

Prophylaxeos eſt, ut funeſtum vulneris conſenſum cum primis viis intercipiat, benignam ſuppurationem obtineat, conſen-

ſu autem jamjam moto, perturbatisque primis viis, ut mature ejiciat corrupta. Vulneratis partibus aponevroticis atque tendinoſis, ſemper ſuſpectus morbus eſt. Primum itaque conſilium hoc fuerit, ut vulneratus nervus plane abſcindatur, ſiquidem abſciſſo nervo omnis tollitur conſenſus. Neque adeo ab amputando digito, in hujus vulnere ſuſpecto, miſericordia intempeſtiva abhorrendum *l*). Aliter ſe res habet in partibus, quarum amputatio ipſa periculoſior fuerit. Ubi neque nervi, vel majoris nobiliorisve, vel profundiore loco ſiti, admittatur diſciſſio, de tenſione nervi avertenda cogitandum erit. Hoc fine læſa pars cum adjacentibus laxanda, proximæ partes congruis inciſionibus ſcite dividendæ, fomenta, cataplasmata & alia emollientia adminiſtranda, quibus hoc ſimul obtineatur, ut copioſius humores affluant, ſic largior reddatur benigniorque ſuppuratio. Vigenti jam ſymptomati vincendo non æque hæc ſuffecerint, jam confirmato nempe atque ultra ortus ſedem graſſato malo. Sed Trismus aliquando vel in ſtadio inflammatorio vel ſaltem in ſuppuratorii primis temporibus invadit. Hinc mature exequenda hactenus propoſita conſilia.

§. XXI.

Triſmus non abſolute lethalis morbus eſt, periculoſiſſimus tamen, ancipitis præſagii, difficilis curationis. Funeſtum ſæpius, felicem rarius eventum hactenus experientia exhibuit. In mortem præceps abit, cum cito atque magno gradu creſcit, cum dirum ſpaſticorum ſymptomatum ſodalitium ſubito augetur, novis

l) Poſt reſectum digitum, graviter dilaceratum, maxillæ inferioris ſpasmum ſtatim mitiorem evaliſſe, JOHANNES SYLVESTER (Medical Obſervations and Inquiries. Vol. I.) refert.

vis ſubinde atque gravioribus & aliis accedentibus ſymptomatibus. Conſtricto collo, larynge atque pharynge, reſpiratione magis magisque impedita, circuitu minore hæſitante, opprimente muco, ſuffocatio imminet vel peripnevmonia. Aut anguſtato collo conſtrictisque jugularibus venis, inſpiratione impedita, ſanguis e cerebro deſcenſurus ad ſubclavias ineluctabile obſtaculum offendit, vaſa expandit, cerebrum premit, quin vaſa rumpit, apoplexiam creat. Et diutius protractus ſpasmus ſublata deglutitione ne hominem inedia conſumat, metum poſſit incutere; Quamvis poſterius malum enematibus nutrientibus utcunque præveniri poſſit. Morti ſane in hoc morbo tot portæ patent, ut de eventu ipſo rarius, quam de modo vitam finiendi, incertum ſit præſagium, quum tot ſimul minentur mortes, ut difficilime proſpiciatur, ſitne ſuffocatione moriendum ægro, an peripnevmonia, an apoplexia, an demum atrophia? Periculoſiſſimum hunc morbum ideo jam habuit Hippocrates *m*), ita ſentiens: „Cervix dura cum dolore & maxillarum connexio, ac jugularium venarum palpitatio vehemens cum tendinum diſtenſione, perniciem minantur." Lætior prognoſis erit, ſi decreſcat potius, quam creſcat malum, ſi longiore ſenſim intervallo redeat ſpasmus, duretque brevius, cum fuerit reverſus, ſi gradu univerſe mitior, ſi reſpirationi minus ſit moleſtus, ſi materia hoſtilis vel naturæ medicato conatu vel artis moliminibus, evacuetur aut vomitu, aut diarrhœa, aut exanthemate, aut ulcere, aut tranſpiratione halituoſa tepida æquabili; Sub hæc ſi mitigetur febris & ad naturalem modum pulſus revertatur, magna recuperandæ ſanitatis ſpes affulget. Sed & ſublato morbo aliquando impotentia ad motum naturalem maxillæ ſupereſt, facili negotio tollenda, quum haud inſueta ſit

m) Coac. CCLXI.

ſit ſpasmorum violentiorum hæc ſequela, ſecundum pervulgatum illud: „ſpasmum ſequitur relaxatio.„ Quum autem, ut prædictum fuit, tam fortunatus exitus ſibi permiſſi morbi vix expectandus ſit, auxilia commemoranda ſunt, quæ arti, jam præſente, nec prophylaxi averſo malo, in uſum ſint vocanda.

§. XXII.

Iterum alio modo tractandus inquilinus Trismus, adventitius alio. Inquilinus Trismus, ceu ſymptoma ſpectandus vel febris malignæ, vel morbi verminoſi, vel acidi primarum viarum, vel metaſtaſis nervoſæ, præ adventitio medelam aliquam admittit. Curatio Trismi inquilini duplex eſt, aut plenaria, aut mitigatoria. In Trismo gaſtrico putrido ante omnia curandum eſt, ut materies corrupta primas vias gravans cito ejiciatur. Per vomitum vix, niſi ſub conditionibus quibusdam, finis obtineri poterit, cum contraindicet conſtrictus pharynx, oppreſſus ſpiritus, clauſa maxilla. Præſtaret ſane, ante natum Trismum apparentem expurgatas jam fuiſſe primas vias. At, quod dolendum, medicorum adeo conſilio nonnunquam fit, ut etiam exonerationem moliens natura ſiniſtra arte impediatur, decantatisque nimium intempeſtivis cardiacis, atque alexipharmacis ſalutares vomitus & diarrhoeæ cohibeantur, ſic lupus includatur ſtabulo. Transgreſſa tum in ſanguinem materies per alias omnino vias ad exitum tendit in exanthemata degeneratura; Rarius tamen & hic caſus obtinet, qui ad pellenda miliaria medicum provocet; Quod cum indicatum fuerit, cautelam tamen maximam requirit pellentium medicaminum delectus. Quæ enim, dum ad cutem ſanguinem propellunt, nimis illum exagitant, calorem nimium accendunt, excretionem cutaneam potius ſufflaminant, & ſpasmum vehementiorem, cunctaque ſymptomata periculoſiora reddunt. Opium tum ſummi antiſpasmodici tum hic quoque magni

dia-

diaphoretici vices agit, ſic promovendis exanthematibus præ aliis convenit. Nec deſunt obſervationes, tali ſub tractatione morbum aliquando miliaribus feliciter fuiſſe judicatum.

§. XXIII.

Triſmus adventitius eandem medicationem fert, quæ modo memorata fuit. Sed vulneris præterea habenda ratio, & gradus morbi plerumque hic ferocioris. Emollitioni vulneris & ſupra indicatis topicis & tranſpirationis per opium ſollicitatione proſpicitur. Malignitati vulneris occurritur per Chamomillam, corticem peruvianum, herbam cicutæ, mercurialia, camphorata, moſchata, opiata, fomenti, linimenti, aliave forma congrua adminiſtranda. Sed, quum conſenſus jam ad primas vias propagatus ſupponendus ſit, hæ quoque, quantum morbi gradus atque vires ægri ferant, ſunt purganda. Præterea & opium hic quoque indicatum eſt, ſedando quippe conſenſui, pacandis turbis nervorum præ aliis accommodatum. Conſtitit & per experientiam multiplicem, in quibuscunque gravioribus vulneribus, præſertim nervoſarum partium, ubique optime conducere opium, quod demonſtratione poſt ſagaciſſimum BROMFIELD vix porro opus habet. Sed in tam gravi malo opium & modo adhibendum eſt vulgarem excedente. Ægro enim in extremo jam hærente vitæ diſcrimine experimento diffidenter faciendo nullus locus eſt, jam timidior damnanda medicina eſt, heroica arripienda. Impar autem ipſum opium vincendo morbo erit, niſi doſi præbeatur, quæ conſueta Diſpenſatoriorum præcepta notabiliter ſuperet. De opii ad debellandum morbum inſufficientia conqueſti medici eodem videantur aliquanto timidius uſi eſſe, quod & de aliis remediis haud paucis dici poſſit. Qui largo ſatis opii præbio Triſmum aggreſſi ſunt, de feliciſſimo ſucceſſu frequentes ſunt gaviſi *n*). Eximium aliud ejusdem morbi remedium Moſchus

n) Sanavit ægrum triſmo a vulnere oriundo laborantem Clephane 90 opii granis, quæ intra 22 dierum ſpatium aſſumi juſſit. Medical Obſervations and Inquiries. V. I. n. 8. & ægroto eodem morbo laboranti 116 opii grana proſpero cum ſucceſſu intra 5 hebdomadum intervallum exhibuit WILH. HUNTER. ibid. Vol. VI. n. 7. Nec ullum detrimentum ægro unciam tincturæ opii, cujus compoſitio in Pharmacopoea Londinenſi exſtat, intra 24 horarum ſpatium aſſumtam attuliſſe, Calmer ibid. Vol. I. p. 89. aſſeverat.

ſchus eſt, cujus inſigni contra mala ſpasmodica quamplurima potentiæ copioſiſſima fidem faciunt experimenta. Commune id cum opio virtutis moſchus habet, ut ſudores & exanthemata potenter pellat, eoque titulo ad Trismum denuo utrumque ſe commendat medicamen. Et valerianæ, ſylveſtris maxime, vires, ut in aliis vel maxime rebellibus nervorum malis, ſic in Trismo quoque, præcipuam ſibi laudem compararunt. Nec hæc ſibi inimica ſunt remedia, ut potius, quum ſolum aliud aliudque aliquando morbo debellando impar deprehenderetur, ſæpius obſervatum fuerit, connubium eorum ad profligandum hoſtem optime ſuffeciſſe. Nec imbellis ad hunc morbum Cinchonæ cortex eſt, in febribus malignis tantam nactus gloriam. Nec inutilis, per enemata præcipue applicata, aſa fetida, quæ tanta eſt ad ſopiendos hyſtericos ſpasmos. Juxta hæc autem febris quoque in Trismo ratio habenda eſt; Hæc ſi exorbitet nimis, pulſusque cum duritie quadam magnus ſit, vena ſecanda eſt, ne diuturnus ſpasmus, cooperante febri, convulſas partes inflammet, peripnevmoniam, apoplexiam, alia mala producat. Per ſanguinis miſſionem vires infringuntur, quarum hic nimius impetus eſt. Et jam veteres viderunt, augendas eſſe vires, ſi deficiant, minuendas, ſi exſuperent. Accedit, quod & venæſectionis in hyſtericis ſpasmis tanta conſtet efficacia, ut pauca ſanguinis cochlearia detracta immanes ſpasmos ſubito aliquando compeſcant, unde & in hoc ſpasmorum genere a miſſione ſanguinis multum boni expectandum erit. Methodus palliativa, quæ pejoribus ſpeciebus dicata fuit, etiam hic locum habet, cavendum tamen, ne, per hujus miniſteria, primaria cura negligatur. Veſicatoria, fomentationes, ſinapismi non excluduntur, nec ab hiſce tamen multa liceat ſperare. Ea autem maxime hic adhibenda ſunt, quorum potiores uſu comprobatæ vires ſint. Præterea in Trismo & eorum medicaminum præ ceteris habenda erit ratio, quorum adminiſtrationem morbi indoles facilimo negotio admittat. Quum deglutitio, quum reſpiratio per morbum huncce male habeantur, efficacior in mole minus ampla virtus medicamenti acceptiſſimam dotem conſtituet. Eodem argumento & quotquot adminicula externe applicata quidquam valeant, hoc ipſo medici attentionem ſibi vindicabunt.